

PRO QVODLIBETARIA

QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTAT. IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS xxx. Ianuarij,

CLARISSIMO VIRO D.

GVILLIELMO DE BAILLOV,

DOCTORE MEDICO, ET MODERATORE PRVDENTISSIMO.

Suntne vertigines magnorum morborum προδρομοι?

I.



CAPVT (quod nullius principis actionis, ſed oculorum gratiâ ſublime Natura in editiſſimo corporis faſtigio collocauit vt in arce) duæ potiſſimum partes abſoluunt, cranium, & cerebrum. Illud κράνος, prohibendis externis iniurijs ſecurum vndiquaque communit: fuliginoſis recrementis vaporandis, diſparatis commiſſuris ſponte dehiſcit. Cerebrum denſo cranij pariete, vt cæcis latebris concluſum, quatuor ſinubus excauatum præſtantiſſimis partibus, & ſpiritus animalis officinis, in quibus omnis ſordes excoquitur, ac eluitur, variis neruorum propaginibus ſoboleſcens, par-

tes ſubiectas iugi fauore perreptat, ſenſus motúſque officiis æquabili ſorte diſtributis. Et vt nulla eſt pars à morbis immunis, ſed ita iubente fati lege, quæ nihil ſacrum habet à quo abſtineat, quæque particula cum ſuis, tum vitiis alienis infeſtatur: ita cranium ac cerebrum cum gentilitiis morbis, tum damnis aliunde acceptis, dolent. Omnis cranij & cerebri labor, vel ibi natus, vel aliunde accerſitus, voce toti cognomini, capitis πάθημα nuncupatur.

II.

AT morborum differentias tres annotamus totidem inſignibus nominibus, partim ex doloris decurſu petitis, partim ex locali generatione, denique ex inſigni principis actionis offenſione nouatis: Hemicranicis pars dimidia indoleſcit, nunc dextra, nunc ſiniſtra, modò ſuperficie tenus, modò dolor in intimum caput breuis aut diuturnus ſubit, ac dolore in totum procurrente holocranici fiunt, híque cephalalgici nuncupantur. Catarrhoïcos grauedo, coryza, epiphoræ, id genus alia ſignificant. Paraphorici παράνοιαν inducentes, vel nobiliſſimam eximiæ facultatis actionem perimunt, vt ſtultitia, amentia, memoria abolita: aut conturbant, obſcurántque, vt phrenitis, paraphora, melancholia, lycanthropia, mania: Cataphorici ſunt affectus omnes ſoporoſi, corpus proſternentes, huiuſmodi ſunt carus, lethargus, ἔκπληξις, catoche, epilepſia, & prænuntia vtriuſque ſicut & grauium febrium vertigo.

III.

CATAPHORICI ſunt Apoplexia & Epilepſia, licet hæc promiſcuum quid habet. Nam qualitate cerebro inimica idem vellicans deijcit δυσκαταμάχητος frigidum & lentum humorem authorem ſui, vt & ſternuta-

mentum, eiurat. Nec fidem facit inuasionis & solutionis celeritas. Qualitas vt calcar requiritur. Apoplectici cita morte vt è cælo icti sideratique cadunt. In titubatione scotomatica corruit animal, ea parte laborante, quæ rerum sensu perceptarum pura εἴδωλα contemplatur. Caliginosa, cæcáque vertigo cum periculoso casu, vel à cerebro anticisque ventriculis est, spiritu & humore moto inæqualiter & rapto, vel à subiectis partibus elatis in caput fumis, crudis, vaporosis: hi sinubus admissi serio vt occupata arce triumphant, & victoria efferati statim in oculos dolosa captatione inuolant, quibus offusis, corpus nutat, & labat occæcatum. Omnis vehementior, & à quacunque causa genita, humorum & spirituum tumultuaria commotio, vertiginem facit: sæpè cerebri & arteriarum intemperies, maximè inæqualis (cui vna salus arteriotomia) meatibus liberis prono cursu spiritus ad neruos procurrunt: iis interceptis non rectà delati, & exitum affectantes in orbem mouentur, & caput contorquent.

IV.

VERTIGINVM aliæ morbos decernunt, aliæ antecedunt, aliæ consequuntur, Criticæ fiunt natura humorem noxium secernere moliente, materiáque circa crises morborum longorum ad caput commeante: Elephantici procurata vertigine viperarum vsu, hic apprime salutiferarum, in aliis morbis esu deleteriarum, liberantur. Conualescentes à morbo, conclusi aëris tædio, & perflatilis liberique desiderio, agitatione corporis, & humorum, vertiginosi fiunt. Rerum volubilium, versatilium, profundarum, remotarum aspectus, grauium leuiúmque diremptus, ambulatio circularis, contracta

quam longa, cum multis quam ſolitaria, læuã quam dextra, diuturna quam breuis, cita quam lenta, vertiginis potius eſt author. Stantes quam ſedentes, currentes pariter acquieſcentes, procêri quam breues, famelici ieiunique quam pleni, inclinati in terram quam recti, potius vertiginis ruinam experiuntur, ſed & animi contentio ἀναγωγική, præcipua Philoſophiæ nutrix, hominem beans, eum infœlicem reddit, inde nata vertigine.

V.

VT vertigines inter morbos periculoſos, & non pẽriculoſos ambigunt, ita pernicioſis affines, in morbum attonitum & ſacrum degenerant. Primaria cerebri intemperie, & obſtructione quadam à pituita nata vertigo, pro copia materiæ ſinus cerebri obſtruentis, alterutram affectionem infert. Ac vt hi tres affectus origine ſunt affines, ſic & curatione. Miſero fato ſunt iidem: ſalutarì auxilij ſorte participant. Medicamenta è capite euocantia omnibus proſunt. Si à viſceribus malum vt ferè fit, quæ meſenterium repurgant: hi affectus ferè vt & incubus, affligunt hypochõdriacos, quibus ob δυσκρασίαν ἄῤῥητον malorum eſt ilias, medicorum crux. Phlebotomia non infrequens valet, in vertigine arteriotomia ἡγεμονικὸν eſt. Pyrotica, balnea, Aquæ naturales, pulmonicis (vt creditur) non invtiles. Eſt tamen vbi in morbo ſacro amuletis locus eſt, teſte Alces vngula. In eodem vt & in vertigine, queis defæcatiore cerebro cenſus ineſt exquiſitior (vnde eius morbi facilis occaſio) purgare nefas: Cibi adiectio, & ſenſus retuſio melior. Exacti ſenſus ſua laus eſt, ſed is ſæua mercede reponitur. Denique ſi caput per ſe vertiginoſum ſit prægreſſis curis & animi pathematis, vertiginem hanc excipit apoplexia lethalis. Morbus ſacer

& attonitus, κατ' ἐξοχὴν magni dicuntur siue partis dignitatem, siue causæ magnitudinem & immanitatem symptomatum spectes: hinc sequitur maior ipsa fide pernicies, & terribilis inæqualitas motus spiritus animalis ad terribiliores affectus proludit.

Ergo sunt vertigines magnorum morborum πρόδρομοι.

Proponebat HIERONYMVS TAQVET, Parisinus, Anno Dom. 1597.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Groust.
M. Simon Pietre Prof. Reg.
M. Ioan. Duret P. & Med. Reg.
M. Georgius Cornuty.
M. Ioannes le Moine.
M. Steph. du Four, Med. Reg.
M. Henricus Blacuod.
M. Hugo Preuosteau.
M. Nicolaus Ellain.

PARISIIS,
Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad insigne D. Stephani 1649.

voyez cette meme thèse tome 11 in folio p. 253 du recueil des thèses de la faculté. —